

Catalogus Dissertationum Volumine hoc
comprehensorum.

- 1., De prudentia in disquisitione & observatione dicti Johanni i. Joh. 3, 7.
Auct. Car. Gottlob Hoffmanno. Vitt. 1766.
- 2., Pietas Cornelii Lenturioris Cofanieris antequam ad eum mitteretur. Act. 8, 2. Auct. Joh. Fecht. Roff. 1701.
- 3., Observationes Exegetico critica et miscelle super 2 Tim III et 1K.
Auct. Joh. Faloth. Semler. Titoff. 1753
- 4., Progr. De utilitatibus ex Doct. Theologio redundant. Auct. Christ. Timoth. Seidelio Helmst.
- 5., De duratvne Poritorum Auct. Christ. Frid. Santorio. Tab. 1756.
- 6., De Vocazione Ministrorum Ecclesiasticorum diuina eiusd. ibid 1757.
- 7., Prog. Cur pauci sint boni scholarum Rectores. Auct. Johann. Christ. Stember Lipsie ad 1747.
- 8., De recto et genuino usu argumentorum fidem humanam facien-
tium, in probanda diuina origine. P. Litterarus. Joh. Georg. Knapp. Halle 1757.
- 9., Quare dico tibi remissa sunt peccata eius multa, quia etc. Luc. 11, 42.
Auct. Christoph. Matthaeo Pfaffio. Tubingae 1745.
- 10., De Peccato in Spiritu s. Pauli Car. Gottlob Hoffmann auct.
et respond. Joh. Gottl. Verner hyperint. Dant. Vittens. 1755.
- 11., De omnisciencia dei in fratre Elio. Auct. Baumgarte. Halle 1756.
- 12., De litteris Elii ad Ioramus. Reger Judo in Colis scriptis et literis
XXI & 12 auct. Christoph. Matth. Pfaffio 1755.
- 13., Explicatio loci difficilioris Joh. X, 33-38. auct. Baumg. 1735 Halle
- 14., De fratre animarum separata. auct. loc. Halle 1754.
- 15., De Iuda sacra Coene communia auct. loc. 1744.
- 16., De redēntione Ecclēsī proprio scī sanguine facta act. XX, 26. auct
Costa Tab. 1753.
- 17., De reliquis sententissimis in opinionibus de morte auct. Gregio
1756 Lipsie Commentatio prior

M. CHRISTIANI GODOFREDI HVHNII,
 S. S. THEOLOGIAE BACCALAVREI, ET AD D. NICOLAI IN VRBE,
 LIPSIA, CONCIONATORIS OLIM VESPERTINI,
 LONGE MERITISSIMI,

DISSERTATIONEM EXEGETICO-ELENCHTICAM

QVAM

DE

AD PARITIONE ANGELI CHRISTVM CONFORTANTIS,

Luc. XXII. Com. 43.

SPIRITVI SANCTO NEVTIQVAM
 TRIBVENDA,

CONTRA

CL. IOANNEM CASPARVM MERKENIVM,
 SCHOL. GEMARC. REC T.

VIVVS ADHVC CONSCRIPSIT,
 EX BEATI MANVSCRIPTO

P V B L I C A T

M. IOANNES Leberecht ALBANVS,
 ZSCHEPLINA - MISNICVS.

L I P S I A E
 LITTERIS IO. CHRIST. LANGENHEMII.

1 7 4 7.

M. CHRISTIANI GODOLREDI HUNNI
EASTHOGOLOGIE BEGEHT VAREI ETAD O MIGDELI IN ARRI
PIPLAIS COMODONIUS ORIS OFIN FESTATEMUS

DISSERTATIONEM DUXERITICO FLINCITHICAM

ADPARITIONE ANGELI
CHRISTUM CONTRARIIS

SPIRITAI SANCTO NEVITIAM
TRIUMPHANDI

CI. IOANNIUM CASPARYM MERRINUM

M. IOANNES SEBASTIANUS ERBANUS

LIPSIAE

ETIPTERIS IO. CHRISTI. LAMMENHEIM

1544

E I R O I A T
M A G N I F I C O ,
S V M M E V E N E R A B I L I , E X C E L L E N T I S S I M O ,
A M P L I S S I M O D O M I N O ,
C O N S A M M A T I A T I A D I E V A R A E
CHRISTIANO FRIDERICO
BOERNERO,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI, EIVSDEMQUE PRO-
FESSORI IN ACADEMIA LIPSIENSI PVBLICO PRIMARIO,
ECCLESIAE CATHEDRALIS MISENENSIS CANONICO, REGIO-
ELECTORALIS CONSISTORII LIPSIENSIS ADSESSORI, ALVMNORVM
ELECTORALIVM EPHORO, MAIORIS PRINCIPVM COLLEGII
COLLEGIATO, ACADEMIAE DECEMVIRO, ET H. T.
VENERANDI ORDINIS SVI

D E C A N O ,
PRAECEPTORI, ET PATRONO SVO,
O B S E R V A N T I S S I M E C O L E N D O ,

H A N G C E

B. H V H N I . I
D I S S E R T A T I O N E M
DAT, DICAT, DEDICAT,

E I D E M Q V E
DIEM NATALITIVM SEXAGESIMVM QVARTVM,
LAETE, AC RIE
GRATVLATVS,
CONSVMMA TISSIMI VIRI CVRAE
AC T V T E L A E
SE SVASQVE RES
IN POSTERV M
DILIGENTISSIME ET SVBMISSISSIME
COMMENDAT
SAVIS
PRAEFECTORI, ET PATRONO SVO
OBSERVANTISSIME GOLINDO
DEVOTISSIMVS CVLTOR
IOANNES Leberecht ALBANVS.

V I R
MAGNIFICE,
SVMME VENERABILIS,
EXCELLENTISSIME, AMPLISSIME,
PRAECEPTOR, AC PATRONE
OBSERVANTISSIMO ANIMO
COLENDE,

Sum ex iis, qui, singulari TVA, VIR SVM-
ME, beniuolentia, inde a tempore bene mul-
to, exhilarati, iure TE merito diligunt,
amant, colunt, venerantur. Fatendum
equidem est mihi, praeque me ferendum omnino, fuisse me
plane indignum, quem ullo complectereris fauore, aut bene-
ficio, vel minimo, unquam adficeres. Namque in me ni-
bil fuit eorum, quibus gratiam a TE magnam imire mibi
licuisset. Nihilo tamen secius ita contigisse, impense gau-
lio, deo,

deo, ut de inuidenda hac mihi felicitate gratulari in primis
nunc queam, quod TVO me patrocinio commendatum, lo-
cupletissimis, usque nullo prorsus numero delineandis, be-
nignitatis TVAE documentis, vere adhuc cumulaueris.
Quam enim salubriter mihi, quando caritate me Academica
olim gratijs donares, de studiis litterarum rite tractan-
dis, et de vita integre ducenda, paeceperis; quam fideliter
postea sanctissimas me veritates, verbo diuino, et libris eccl-
esiae nostrae Lutheranae Symbolicis, conteutas, docueris, nulli
traditurus obliuioni, gratissima semper mente, erga quem-
uis praedico. Ex quo autem tempore TIBI, consilio bene
ac sapienter deliberato, placuit, me designare, cuius fidei et
institutioni delicias TVAS, par nobile liberorum TVO-
RVM, natu minimorum, committeres, tantus, quod citra
adulationem scripserim, ad beneficia, quae abs TE profecta
iam in me antea erant, cumulus accessit, omnem ut abiucere
spem debeam, fore, ut tanta sim eloquentia, tamque diuino
et incredibili genere dicendi, qui magnitudinem et multitu-
dinem illorum, non dicam ornare oratione, sed, ne enumera-
re quidem unquam possim, et, pro eo, ac debebam, laudare
satis, atque venerari. Maximi aestimo animum me erga
TVVM propensissimum. Ex oscular manus TVAS tam
munificas. Parentis instar honoro TE. Ne tamen ingra-
tus aliis videver, apud animum constitueram meum, quas-
dam TIBI, PATRONE VENERABILIS, offerre
aliquando primitias, atque easdem, exiguum quantumvis,
leue, nec satis TANTI VIRI persona dignum, at aliquod
tamen,

tamen, gratae mentis existare signum volueram. Suadebat maxime, efficacissimeque hortabatur cuius ipsius diei sollemnitas, qua, anno climaeterio magno vitae TVAE, pie, erudite, et laudabiliter semper actae, feliciter deum superato, nouum haud sine propitio Numine auspicaris, ut ita officio satis meo facerem. Sed, cum multae aliae causae, tum vi-
rium in primis mearum, quarum bene mibi sum conscius, (non enim manifesta nego,) tenuitas, imbecillitasque, dissuadebant, atque me a meo consilio penitus deterrebat. Meditandum igitur supererat votum, ex animo, et pio, et grato, profectum, quo iis me ad sociarem, qui omnia TIBI bona dicere, et laudare fortunas TVAS, cum voluptate quadam in usitata, hodie satagunt. Suppedavit autem breuem votorum mibi meorum, hac quidem tempestate, pro salute TVA ardenter
sime nuncupandorum, summan elegans ista, succincta, eru-
dita, solida, et modesta dissertatio, quam plurimum Reueren-
dus atque Clarissimus M. Christianus Godofredus Huh-
nius, fautor, amicus, et hospes meus, quem viueret, dile-
ctissimus, hoc ipso anno inter coelites mature receptus, con-
scriptis: de angelo Christum patientem confortante, per-
peram pro spiritu sancto habito, cuius quoque in exasciato
programmate, in obitum b. Viri conscripto, Magnificus at-
que Excellentissimus Dominus Professor Kappius, Patro-
nus meus diligenter colendus, mentionem iniecit honorifi-
cam. Putavi ergo, et amori, et obseruantiae meae erga beate
defunctorum Auctorem congruens fore, conueniensque, et,
nec TIBI, VIR MAGNIFICE, nec litterato orbi,
qui,

qui, et quatenus sacras amat litteras, ingratum facturum
me esse, si illud manuscriptum, hac data quidem occasione,
qua nec voto inquam meliorem fingere mihi potuisssem, luci
exponerem publicae, ita tamen, ut detractum labori alieno
a me nihil, nihil superadditum fuerit. Hoc vero, Nomini
TVO Magnifico sacrum in primis esse volo, religiosissime
simul precatus, ut Supremus ille vitae mortisque arbiter,
quos b. Huhnio detraxit, annos TIBI clementissime ad-
dat, TVI ita semper tutelam gesturus, ut diu adhuc vi-
vas, valeas bene, agas feliciter! Angelus Iehouæ castra
metetur circa TE, et liberet TE! Angelus Dei custodiat
TE in omnibus viis TVIS, et super manibus portet TE,
ne forte in lapideum impingas pedem TVVM! Angelus
de coelo adpareat TIBI quoque, et confortet TE, ut in-
gruentis senectutis onus, et multa, quae circumuenire eam
solent, incommoda ferre patienter queas. Ipse autem ter-
Sanctus Iehoua Zebaoth benedicat TIBI, et, sicut clypeo,
beniplacito circumdet TE! Sic in posterum quoque habebit
Ecclesia parior, sic Academia nostra florentissima, sic ordo
Theologorum Venerabilis, sic Domus TVA Splendidissi-
ma habebit, de quo gaudeat vehementer, sibique gratule-
tur. Sic et ego, (liceat magnis me pusillum adiungere!)
Sic et ego Patronum habebo, Fautorem, Commendato-
rem, qui, rebus meis certo prospecturus, benivolentissime
largietur, inter ipsius ut me clientes numerem, qui Totum
TIBI me, studiaque mea, qualiacunque sint, confeso.
Vale! Scribebam Lipsiae, d. VI. Nou. A.R.S. MDCCXLVII.

imp



Σὺν τῷ Χριστῷ

§. I.

Etsi non sit inficiandum, longe excusati peccare illos Scripturæ S. interpretes, qui Christum, vel Spiritum S., in loco quopiam inuenisse sibi videntur, vbi de alia plane persona cogitare debebant; quam quidem alios, qui clarissimis de Christo, aut Spiritu S., agentibus locis, in Socinianorum maxime gratiam, vel etiam, vt Iudeis faueant, sensum, a diuinorum auctorum mente prorsus alienum, inferunt; ¹⁾ Nihil tamen secius ab utroque pariter errore nos reuocare, et cautores facere possunt, tot magnorum virorum exempla,

qui

1) Ita modeste iudicat cel. HERMANN WITSIUS oecon. foed. diu. libr. IV. C. VI. de typis §. 8. p. m. 030. Licet modus in rebus sit, tolerabilis eum peccare existimat, qui Christum se videre arbitratur, vbi fortasse se non ostentat, quam, qui eum videre renuit, vbi se clare satius offert. Alterum enim iridicium est animi, Christum diligenter, plurimumque, et vel minima, vel fortassis nulla data occasione, de eo cogitantis: alterum segnem animum arguit, et qui tardus ad credendum sit.

A

DE ADPARITIONE ANGELI

qui modo hac, modo illa interpretandi ratione, scriptis suis,
et tantum non famae ipsi, maculam adsperserunt.²⁾ Priori
naeuo praecipue laborare multorum, reuerendae alias autoriti-
atis, patrum ecclesiae, et recentiorum Theologorum concio-
nes, atque homilias, vt vocant, inter omnes constat. Poste-
rioris vero criminis, summi licet viri, atque doctissimi,
HVG GO GROTIUS, IO. CLERICVS, et alii non immerito
accusantur.

§. II.

Frequentius commissa est eiusmodi hallucinatio in ex-
positione V. T. Innumerae enim ibi leguntur adparitiones
angelorum, et res gestae typum quendam prae se ferentes,
nec non vaticinia paululum obscura, quare mirum haud est,
si plures a vero sensu et scopo aberrauerint, nec semper satis
adcurate discusserint: vtrum angelus increatus, an ex crea-
torum numero unus visus sit? Num historia quaedam mystici
quid in recessu habeat, nec ne? Num vates de Christo, vel
alio obiecto, sermonem instituat? Id vero mirari nos subeat,
oportet, Nouum pariter Testamentum, sua radians luce,
nonnullis citra culpam suppeditasse labendi ansam, vbi tamen,
maxime in libris historicis³⁾, si quae narrantur visiones
ange-

2) Ibid. **WITSIVS** ait: in omnibus caute agendum est utrāq; φέβε, nū
τρούμε, ne mysteria fingamus ex proprio corde nostro, horumque ob-
torto collo trahamus, quae aliossum spectant. Initia Deo, et ipsius
verbo fit, quando nostris intentis deberi volumus, vt sapienter aliquid
dixisse, vel fecisse videamur. Quam misericordia hoc totum **WITSII**
iudicium placuerit, ostendit b. **IO. IAC. RAMBACHI** in exerci-
tationibus herv. exere. 1. de idoneo sacrarum literarum interprete Sect.
I. §. 21. S. II. §. 32.

3) Nam quod ad Apocalypsin attinet, concedo, interdum paullo diffi-
cilius esse, sine formidine oppositi decernere, quis per angelum, toties,
alia atque alia sub forma adparentem, et commissa obeuentem negotia,
intelligendum sit? sed de his nunc non loquor visionibus, verum de
relationibus rerum gestarum.

angelorum, euidentissimum, vt opinor, est, num de creatis, an increato fiat mentio? Typi vero hic et paucissimi, vel nulli euoluendi, quoniam vmbra, praesente corpore ipso, olim per varia adumbrato, non potuit non cessare. Praedictiones denique futurorum contingentium, fata saltem ecclesiae concernentes, exhibentur, quae, si non distincte ante euentum suum cognoscantur, claritate tamen et euidentia haud destituuntur.

§. III.

Ne in prooemio iusto longior sim, statim ad praesentis scriptio[n]is procedam scopum. Miratus nimirum sum maximopere, Virum Clarissimum, sacrarum litterarum explanatorem haud contemnendum, in huncce pariter impeglisse lapidem, vt, quando adparitio illa notissima confortantis Christum angeli ipsi ordine erat exponenda, nescio, quam ob rem, statuerit, non angelum creatum, sed increatum, et quidem Spiritum S. tunc temporis adparuisse, Christoque, sub laborum et dolorum pondere fere succumbenti, robur nouum ac solatium impertiuisse. Opinio, si quae alia, certe haec est precaria, nullo probanda modo, et, ni fallor, etiam periculoſa, quod in praesenti, ne Viro Clarissimo iniuriam facere videar, paucis ostendam. Faxit Deus feliciter!

§. IV.

Auctor, qui indicatam modo proposuit exegesin, est IO. CASP. MERKENIVS, Scholae Gemarc. vii se vocat, Rector, qui ante aliquot annos obseruationes diuulgavit criticas in S. S. passionem D. N. I. C. numero 532., quoad maximam partem nouas et exquisitas, non verbales, sed reales etc. Nolo equidem ego Clarissimum Virum defraudare laude, sed omnino nigrum respondere ex aſſe rubro, haud iniutus concedo. Meretur enim editum opus ob copiam et elegantiam obseruationum, non sane vbiuis obuiarum et nimis

tritarum, legi et perlegi, et saepius repetita placebit lectio.
In eo tamen humani quid passus mihi videtur MERKENIVS;
quod ad Locum *Lnc. XII. com. 43.* in centuria prima obserua
XCVII. p. m. 312. f. sequentia scripsit, quae, vt de eius mente
confet, verbotenus recitabo:

„In qua sententia eo magis confirmor, quod hicce an-
gelus non creatus, sed increatus angelus fuerit, et quidem
„Spiritus S. Nam licet id ex historia apodictice demonstra-
„xi non possit, ex oeconomia gratiae tamen, et mutua, quam
„angelus Gabriel ad angelum Michaëlem in executione ope-
„ris redemtionis relationem habet, illud satis colligere est,
„reperimus enim in oraculis diuinis conscriptum, quod Mes-
„sias ad opus redemtionis exsequendum missus, dicat: Nunc
„Iehoua me mittit, et Spiritum suum. *Ies. XLVIII, 16.* at-
„que adeo illum angelum intelligo, qui olim tempus mortis
„Messiae praenuntiavit, *Dan. IX, 21.* et qui nativitatem et
„conceptionem eius adnuntiavit *Luc. I, 31. Matth. I, 20, 21.*
„cui hocce corroborare vel maxime competebat.

Summo iure hancce obseruationem dixeris nouam.
Nam si STEPHANO CLOTZIO fides habenda, personam
confortantem, aut, quod manult Theologus praestantissi-
mus, causam ministerialem illius confortationis a Deo mis-
sam, a Luca dictam ἀγγελον ἀπ' ἐρανῆ, alicuius ex angeloi-
rum myriadibus induidui descriptionem esse, nemo haec-
nus dubitauit ⁴⁾). An vero noua ista exegesis adprobanda,
firmeque nitatur talo, valde dubito. Et credo, vnumquem-
uis eam mecum prorsus pro falsa habiturum, qui modo verba

citata

4) Videatur elaboratissimum eius scriptum de sudore Christi sanguineo
exerc. 18. §. 13. p. m. 194. conf. etiam D. MAYERI diff. de confortatio-
ne Christi angelica, qui alium quempiam, quam angelum creatum in-
nui, ne syllaba quidem mouuit. CI. WOLFII, cur. phil. in b. l. et
BELLERSHEIM in exerc. typic. prob. exerc. XII. de fatis Christi in
Gethsemane p. 439. seqq.

citata curatius perpenderit. Tot enim fere errores, aut ut lenius dicam, fictiones adparent, quot lineae. Primo non est boni interpretis, quicquam ut certum et euictum iam temere adserere, de quo fatendum tamen, ex historia, siue re-censione sacra id demonstrari non posse. Deinceps figura-
tum merum est, eiusmodi oeconomiae gratiae respectus, qua-
lem sibi imaginatus est inter Michaëlem et Gabrielem. Fal-
sum porro, quod iterum praesupponitur, tanquam probatum,
Gabrialem cum Spiritu S. esse vinum eundemque, qui tamen
toto differunt coelo. Incongrua denique locorum V. et N.
T. ad praesentem, quo de disputatur, applicatio, et ab an-
gelo, Christi nativitatem et conceptionem praedicente, ad
hunc confortantem non valet consequentia, si vel maxime
probari posset, illum fuisse Spiritum S. quod vero ad Kalen-
das Graecas forte euincetur.

§. V.

Sequemur itaque autorem κατὰ πόδα, eundemque refu-
tabimus ita, ut partim adsertionem ipsam, partim eius ratio-
nes admodum imbecilles destruamus, sive communem in-
terpretum sententiam stabilitum eamus. Adserit autem Duo
I. quod. I. c. non creatus, sed increatus, II. quod speciatim
Spiritus S. adparuerit, Christumque confortauerit. Neu-
tram thesin admittimus, cum omni destituatur fundamento.
Ipsius erat, vtramque, quia confidenter adfirmauit, certis
probare rationibus. Interea temporis, quod ipse neglexit,
nos, quantum fieri opus est, praestabimus, negationis no-
stra rationes sufficientes addaturi. Primam itaque thesin,
quod scilicet h. l. angelus increatus intelligi debeat, idcirco
pernegamus, quoniam neque contextus, neque personae ad-
parentis, neque actus suscepti descriptio, adeoque nulla ne-
cessitas insita nos yrget, a propria vocis ἀγγέλος, significatio-
ne discedere, immo nonnulla, quo minus discedamus, prohi-
bit.

bent. Quod ad contextum attinet, non video, vel ex antecedentibus, vel ex consequentibus quicquam eo nos deducere, vt angelum increatum hic loci adparuisse arbitremur. Proxime antecesserat vehementissimus ille Christi dolor et animi cruciatus, quo mortem instantem pertimescebat, et ab ingenti horrore irae diuinæ, tanquam acerbissimo calice, si fieri posset, liberari anhelabat. Iam exauditus, quoad salua iustitia fieri poterat, a Deo patre legatum, aut internuntium accipiebat, qui eum denuo virtute diuina, fortitudine noua, et alacritate, qua indigebat, ad mortem fortiter subeundam, imbuueret. Quo facto intrepide cum morte luctabatur, et ob aestum amoris intensissimum, vt reliqua taceam, fudabat sanguinem. Vbi hic vel vola vel vestigium de Spiritu S.? Num enim angelus creatus huic operi efficiendo impar erat? Non equidem inficiabor, Spiritum S. quo cum intime Christus erat vnitus, semper ipsi etiam in angore isto ac tremore praesentem adstitisse. Nec hoc prouersus negabo, Spiritum S. potuisse interno solatio Christum confortare, vt angelo haud opus fuisset. An vero voluerit isthac negotium omne solus perficere, et an statui exinanitionis, eiusque supremo fere gradu, quo in versabatur Christus, satis apte conuenisset, cum potius derelinquendus a Deo paulisper esset, alia est quaestio? Certe, quid factum sit, in re gesta magis attendendum, quam quid nostra opinione aequi fieri potuisset. Clarissime rem, vti accidit, enarrat Spiritus S. Amanuensis: ὁ Φθη ἀντῷ ἄγγελος ἀπ' ἡρανέ ἐντσχύων ἀντὸν, quae verba, ἄγγελος ἀπ' ἡρανέ, et quidem in visibili se manifestans specie ac forma, (id enim notant voces, ὁ Φθη ἀντῷ) depingunt, vbi vbi legas, nobis procul dubio personam coelestem, seu ministrum quempiam Dei, inter beatos coelites degentem, nisi contextus suadeat contrarium, quod hic nequaquam fit, prout demonstrauit. Actus quoque qui illi angelo tribuitur, ita est comparatus, vt optine competat

creato

creato angelo, non sua, sed Dei virtute agenti in alium. Probe noui, semper tale subintelligi oportere subiectum, quale permittunt praedicata adiecta. Quare sicubi tribuantur angelo opera et facta prorsus diuina, indicium hoc est angelum esse increatum. Sed in praesenti de tali agitur praedicato, quale non necessario increato angelo, s. diuinae personae, verum etiam creato tribui bene potest.⁵⁾ Quid enim fibi vult ῥὸ ἐνοχέω? Vim vocis ex inductione locorum, vbi, tum in versione LXX. V. T. tum in N. T. occurrit, declaravit *I. c.* STEPH. CLOTZIVS §. 16. et deinceps ostendit, realissime ac verissime Christum robore, non angelico, sed diuino, per ministrum tamen angelum, esse confortatum, non eo modo, quem Pontificii et Scholastici doctores statuunt,⁶⁾ sed quem

5) Quisnam ille fuerit angelus, incertum, hoc certum dico, creatum fuisse, donec proberetur contrarium. Sunt, qui Michaëlem putant adfuisse, quos sequuntur IACOB TIRINVS, DIDACVS STELLA, FRANC. LVCAS BVRGENSIS, etc. at, ex hypothesi preeconcepta, Michaëlem esse Archangelum creatum, quod tamen contra Scripturam esse videtur, quae hoc nomine Christum nobis tantum non semper proposuit. conf. PFEFFINGER de Michaële, angelorum auxiliatore. GEBHARD, de Michaële Ichoua, et Christo. Alii rectius pro Gabriele pugnant e. g. VASQUEZ, CORN. A LAPIDE, LVD. DE PONTE nostras GERHARD, MAYER, MULLERVS, in Iesu paciente, p. m. 23. n. 6. qui statuunt, optime illi conuenire ῥὸ confortare, qui a fortitudine nomen accepit, et iam alias in opere redēctionis legati munere funditus, nec noua opus habuerit reuelatione, quanquam, vt pacē tantorum nominum dicam, haecce argumenta nondum certo euincant, Gabriēlē fuisse. Tūtius, int̄zen, nec determinare personam, quam Spiritus S. non determinauit.

6) NICOL. DE LYRA confortationem ab angelo factam putat ad confirmandam discipulorum fidem, quod Christus sit maior angelis. FR. QVARESMIVS, factam tantum exterius existimat, non interius, ita, vt ex hoc officio angelico nullam in animo consolationem, et fortitudinem acceperit; vt potius dolor eius ex illa mirum in modum fuerit adauerstus. VASQUEZ angelum, docet non adhibuisse vilam consolationem, nec illum instruxisse illo modo, vt dolorem leniret, sed robur animique magnitudinem laudasse, quod tam prompto animo mortis fese

S DE ADPARITIONE ANGELI

quem HIERONYMVS, GYRILLVS, DAMASCENVS, NICE-
TA, BEDA, THOMAS ipse, PERPINIANVS, SIMON DE
COSSIA, BERNHARDVS, aliique, adoptarunt, vt nimurum
Deus per angelum interius filium suum suauissimo perfuderit
solatio, quo certior de auxilio diuino, proindeque alacrior
et ad pugnam animosior factus sit. Iam, si perpendam, ipsissi-
mam angeli de coelo adpartitionem, adstantiam, et societa-
tem, nec non moerorum Christi ponderationem, et subse-
quentem suam collocutionem cum eo, dulcissimum pae-
buissle animo debilitato solamen ac refrigerium, cur conforta-
tio talis angelicis viribus effici nequeat, ego capere non pos-
sum.

periculo obiecerit, quae maximam partem etiam est sententia RE-
NARDI, BARRADII, PONTE, immo EPIPHANII, etc. vt taceant
HILARIVM, qui in ea versatur haeresi, angelum adstitisse ad tutio-
nem apostolorum, et per eum ita fuisse Christum confortatum, ne pro
his tristis esset, conf. libr. X. de Trinitat. p. 405, edit. Frobes, dudum
isto nomine tum ab aliis, tum a IO. GILLOTIO notatus conf. V AL.
HENR. VOGLERI Physiol. hist. pass. Obvissi, c. III. p. 12. IO. D' E-
SPAGNE, qui mutum adstitisse angelum existimauit, recte ipse, contra
quem disputo, MERKENIVS, I.c. refellit. Quamvis enim b. MVL-
LERVS in Iesu paciente p. 24, 25, eam ipsum amplectatur sententiam,
quod praeter silentium, et doloris commercium, verba haud adhibue-
rit consolator angelus, nescio tamen, an non altera eorum, qui locutum
esse Spiritum hunc coelestem cum Christo staruant, preferenda sit
opinio? Certe argumenta b. MULLERI videntur robore suo destituta,
scil. I. quia par dolori consolatio verbis applicari nulla potuisset, di-
fertissimo ab infantissimo, fortissimo ab imbecillimo. Respondeo:
Tunc temporis difertissimus sponte fese etiam hac virtute, nempe elo-
quentia exinanierat, fortissimus imbecillior et minor factus erat an-
gelis, Paullo teste, Ebr. II. 7. 9. II. quia verbum ἐνέχει significet, non
tam verbalem consolationem, quam interiorem confortationem, qua
quis ipse vires suas recolligit. Respondeo: Vnius positio non est al-
terius negatio. Vox adeo emphaticas praeter necessitatem non debet
in valore suo minui, sed portius ad omnia extendi, ad quea, per contex-
tum, recte extendi potest, ac debet. Etsi b. Vir optime arbitratur,
angelum cum flente fleuisse, cum genuflexente, ipsum sua flexisse,
genua, cum orante, orasse, cur non pari iure admitti posset, eundem
cum Christo collocutum, cum omni colloquio discipulorum des-
cueretur?

sum. Dixi autem, obstatre quaedam, quo minus hic de in-
creato cogitemus angelo, et inter alia haec duo, quod α) fere
cum stilo N. T. pugnet, diuinam quandam personam adpellare
angelum Dei, hominibus adparentem. Nescio, an illus mihi
posit ex N. T. locus (apocalypsin excipio, quae stilo propheticō est scripta) in contrarium adduci? Et ratio in promptu
est, cur saepius in V. T. angelus Dei vocetur diuina persona,
quia tunc temporis mittendus aliquando erat Dei filius. Iam
vero, vbi missus dudum carnem induit et ad patrem rediit,
cessavit illud nomen, missionem futuram respiciens. Phrasēs
et locutiones dantur V. T. tantum non propriae, quae ex N.
T. ob mutatam oeconomiam exsulare, certe non tam fre-
quentes esse debent, quemadmodum ibi, vt v. c. Deus Abra-
ham, Isaac, Iacob, Zion pro ecclesia etc. conf. FRANC. MON-
GAEIVS in *Aarone purg. Libr. II. c. i. §. 216-219.* β) Acce-
dit et hoc, quod si angelus notat increatum, semper designat
Christum, filium Dei. Nam nisi de' uno increato angelo,
nempe de Christo, scriptura sacra loquitur ⁷⁾). Cum igitur
Christus patiens in horto anxius et debilitatus humi iaceret,
angelus, qui aduenit ipsum corroborans, non potest esse ipse
idem Christus, sed distincta penitus ab eo persona.

§. VI.

Sed hic audio opponentem MERKENIVM: Spiritum
S. aequi dici posse angelum increatum, eumque hic intelligen-
dum, quae altera ipsius thesis est, precario adserita. Nihil au-

tem

7) IACOB RAVPPIVS in *bibl. portat. libr. II. p. I. loc. 4. p. m. 134,*
causas, cur filius Dei saepe angelus vocetur, tres profert: I. quia
per eum Deus pater locutus cum primis hominibus, ex patria actis,
in V. T. II. quia in plenitudine temporis missus ad carnem adsumen-
dam. III. quia missus ad consilium Dei nobis patefaciendum. Ex quo,
inquit, adparet, nomen angeli NB. non posse primae, vel tertiae, Dei-
tatis personae tribui.

B

rem obtinebit audaci sua adsertione, nisi primo demonstret, in Scriptura S. tertiam quoque diuinitatis personam vocari angelum, et quidem ἀγγέλον ὁπ' εἴρηται. Nam, a posse ad esse non valet consequentia. Posset fortasse ita commode adpellari, citra haeresin, an vero ita dictus nullibi sit a viris Θεοτύπευσοις, credat, qui velit. Ego nego. Omnes fere Theologi Orthodoxi in eo vnamiter consentiunt, nomen angeli in Scriptura S. triplici saltim usurpari modo, et tribui vel Christo, vel Spiritibus creatis, tum bonis, tum malis, vel hominibus. Quartum non dari, recte adserunt, sic D. A. FESSELIVS Adu. S. Tom. I. libr. V. c. III. §. 6. p. 432. inquit, *nomen angeli nuspici patri, aut Spiritui S. tribuitur.* Et ZACH. GRAPIVS in theol. R. C. p. 162. *nullibi in tota Scriptura Sacra vocatur Spiritus S. angelus nec creatus, nec increatus, quae posterior appellatio soli filio conperit.* Conf. etiam. KAMNGIESERS Grundlegung der Seligkeit cap. I. §. 10. ERASMVS SCHMID, ad Matth. XVIII. 10. ubi copiose differit de variis ταῖς ἀγγέλαις significationibus in animaduersionibus suis super N. T. Adstipulatur pariter ex Reformatorum coetu WILLH. MOMMA, Tom. I. oecon. Patr. cap. VIII. libr. II. §. 3. p. m. 150. sciendum, inquit, *Deum patrem nullibi vocari* בָּבֶן, *quia enim prima Deitatis persona est, a nemine mitti potest, quod tamen fieri debet illi qui* בָּבֶן *vocatur.* *Deum Spiritum autem, quamvis dicatur mitti,* Ies. XLVIII. 16. Gal. IV. 6. *rarissime tamen, et forte non nisi semel* בָּבֶן *angelum vocari, nimirum Gen. XVIII, 18, 19, 20, 24. etc.* Vbi tamen notes velim, ne hoc quidem loco occurriere בָּבֶן, neque necesse esse, ut sub nomine angeli Spiritum S. intelligamus. Adhuc enim sub iudice lis est, an tres illi adparentes fuerint diuinitatis personae? Si hoc foret verum, pater quoque, non Spiritus S. solum diceretur angelus, quod ipse MOMMA, et recte, insiciatus est. Dicuntur enim modo tres viri, non tres angelii.

angeli. Quare illi videntur optime interpretari locum controversum, qui vnicum angelum increatum, nempe Christum, stipatum binis creatis, Abrahamum visitasse auctumant. Id quod et exinde patet, quoniam vnicus saltim inter tres, ut supremum numen, adoratur, reliqui vero duo, cultu saltim ciuili adfecti leguntur,⁸⁾ omnes vero hic tres deitatis personas adparuisse, crediderunt AMBROSIVS, PASCHASIVS, aliquique citati FROBESIO in *Instit. hist. Theol. libr. IV. cap. I.*

§. VII.

Forsan erunt nonnulli, qui citabunt quedam dicta satis speciosa, vbi primo intuitu videtur clarissimum, Spiritum S. vocari angelum v. g. *Ief. LXIII, 9, 10. Act. VIII, 26, 39*, quem locum hoc traxit SANDIVS, a Cl. SCHOMERO refutatus, ostendente ad oculum, Spiritum S. potius ibi ab angelo distingui, quod pariter de loco Iesaiano notari potest. Alius locus extat *Apoc. X, 1.* Memoratur hic quidem angelus de coelo descendens, fortis etc. quem Spiritum S. fuisse c. l. quidem VITRINGA ad b. l. existimauit; sed grauissimae sunt rationes, cur ab hac opinione cum plurimis recesserit b. REINBECK in der Erörterung des Haupt-Inhalts der Offenbahrung, quae legitur im *Heb-Oppfer Vol. II. P. 16. 17. 18. p. 670. §. 119.* De Christo potius optime intelligitur locus hic, in quem omnia quadrant praedicata, vt l. c. videre est. Idem tamen Vir beatus l. c. §. 148. p. 732. locum *Apoc. XVIII, 1.* de Spiritu S. exposuit, quasi hic sub angelo de coelo descendente intelligatur; dubito tamen, an satis firma sit expositio, cum aeque facile de doctoribus ecclesiae, Spiritu S. impletis,

B 2

possit

8) Euolue commentatores in b. l. praeprimis CALOVIVM in bibl. illustr. BVRMANNVM, SELNECCERVM, LVTHERVM etc. nec non diff. NIEHENCKI et LEHMANNI de Tribus viris, qui Abramino ad paruerunt.

possit explicari. Certe ex loco adeo difficiili, de quo adhuc sub iudice lis est, argumenta peti nequeunt. Speciosior est ille locus, *Act. X, 35.* vbi dicitur angelus Dei Cornelio adparuisse, et mandasse, ut mitteret ad Petrum, et *v. 19.* idem ille Spiritus monuisse legitur Petrum, de missione suscepta coll., *v. 22.* ynde quis concluderet: ἄγγελον ἄγιον, et πνέυμα monens Petrum ynum esse, et eundem alterum, cum ergo per πνέυμα intelligatur Spiritus S., manifesto adparere, quod Spiritus S. dicatur ἄγγελος de coelo veniens. Veruntamen nihil obtinebunt, qui talia obiiciunt, dummodo curatius locus introspiciatur. Diuersae memorantur personae, et si inter se conuenientes de re fuscipienda. Angelus mittitur ad Cornelium, qui erat creatus; Spiritus contra monet Petrum de hoc negotio, qui non erat idem ille angelus, prout obiter legenti forte videtur, sed longe alius, scilicet Spiritus S., mouens interiorum animum Petri. Si vero etiam pro uno habeatur πνέυμα, et ἄγγελος ἄγιος, non additur ibi πνέυμα ἄγιον, sed saltim nude πνέυμα dicitur; quod si de angelo exponere lubet, sicut quidem, citra errorem, neutiquam autem licet inde concludere: E. Spiritus S. dicatur ἄγγελος. Dato vero etiam, interdum dici Spiritum S. angelum, nondum tamen sequitur, hoc etiam in loco eundem designari, maxime cum addat Lucas: ὁ Φθη ἀντώ, angelum visum esse Christo, nam ei soli adparebat, dormientibus discipulis. Probandum denuo esset, Spiritum S. vñquam in visibili forma visum fuisse, tanquam angelum Dei. Tacet de eo tota Scriptura Sacra, nullamque memorat factam Spiritus S. per omnia retro praeterlapsa tempora adparationem, nisi in forma columbae, ὡσεὶ περιστεγάν, *Luc. III, 22.* et ignis *Act. II, 3.*

§. VIII.

Age autem, discutiamus nunc ea, quae mouerunt MERNIVM ad amplectendam de increato angelō, Spiritu S., senten-

sententiam. Prouocat ad oeconomiam gratiae, et mutuam, quam angelus Gabriel ad angelum Michaëlem in opere redemptionis habeat relationem. Immane profecto postulatum, non vna diluendum responsione! Nam, vt ab eo ordiar, vix tolerari potest eiusmodi libertas, aut rectius licentia, interpretis, qua in re historica, nec adeo difficulti euoluenda, statim praeter necessitatem ad ratiunculas longe petitas prolabitur. Quid opus ratiocinationibus, vbi littera scripta manet, nec quid nobis factu optimum videatur, sed quid reuera factum sit, disquiritur? Et quamnam, quaeſo, hic dicit auctor oeconomiam gratiae? Non memini, me in Theologorum systematibus legere, talem in Deo gratiae dari oeconomiam, quae postulauerit, vt Spiritus S. in horto Gethſemane, vbi cum morte colluctandum erat liberatori, ad eum corroborandum visibili in specie angeli, humana forſan forma induit. adpareret. Manifesta hic admittitur principii petitio, et praeſupponitur, quod probandum prius erat. Porro autem, quis ipſi mutuam illam inter Michaëlem et Gabrielem concedat relationem, quae fingitur, non probatur? Michaël ex eius opinione, ni fallor, Christum notat. Id concedunt orthodoxi tantum non omnes, Gabrielem vero interpretatur per Spiritum S. Vnde haec interpretatio robur accipiet? An ex Etymologia? Nequaquam. Nam, vt non vrgeam, ſemper etymologicas demonstrandi aliquid rationes soliditate carere ipſum vocis etymon contra eum potius militat, quam hypothēſin ipſius ſtabilit. Gabriel, vox Ebraea, componitur **אַבְרָהָם** et **אֵל**, et notat: fortitudo mea Deus, vel, robur meum Deus, vel, vir fortis Dei. Aſt vereor, vt ita proprie Spiritus S. adpelletur, qui ipſe aliorum fortitudo eſt, non Deus fortitudo eius. Rectius iſtud nomen angelo creato competit, qui, vtpote minister Dei, et **πνευμα λειτουργιον** quicquid habet et praefat roboris a Deo, creatore ſuo, habet.

bet.²⁾ An ex locis parallelis, aut synonymis, forte isthaec sententia confirmabitur? Vix credo. Nam non datur locus parallelus, siue verbalis, siue realis, quo adstrui possit, quod,

9) Celeberrimus MOMMA in oeconomis sua Tom. I. libr. II. c. 18. §. 118. p. m. 308. obseruat, hoc nomen Gabriel non esse vnius angelii proprium, sed omnium myriadarum sacram commune. *Omnis, inquit, angelus Gabriel est.* Repetit fere eadem Tom. II. libr. III. c. 2. §. 5. p. 9. *Omnis angelus, qui a Deo mittitur, in Deo robur habet, estque adeo Gabriel, ut nos necessum sit, statuere, ut soli huic angelo nomen hoc esse proprium, neque enim verisimile est, omnes in uniuersitate angelorum suis insignitos esse nominibus.* Rursus cap. IV. p. 60. §. 11. nominatur hic angelus Gabriel, non, quod nomen hoc sit illi soli proprium, nam unicuique angelo suum inditum esse nomen, nec Scriptura docet, nec villa statuere necessitas cogit: *omnis angelus est Gabriel, omnibus id nomen competit, omnes, quum mittuntur, dicere ex aequo possunt: Ego sum Gabriel, stans coram Deo. Lue. I. 19.* Et quanvis ex eo, quod dicitur menseso-
zo missus esse ὁ ἄγγελος γεράσημος, videri possit, individuum certum et signatum notari, tamen non inde sequetur, nomen Gabriel uni huic angelo, non autem aliis concinere, sed tantum, Deum vnius et eiusdem angelis opera usum esse ad advanciam Ioannis et Christi nativitatem. Ita philosophatur MOMMA, non quidem inepte, sed dubito, an omni ex parte accurare. Verum est, omnem angelum creatum in Deo habere robur, adeoque dici posse Gabrielem mystice. At enim, a posse ad esse non valet consequentia. Superuacanea certe fuisse nominis Gabriel in tot locis adiectio, si nullum individuum ita determinare, sed indefinite angelorum quempiam dicere voluissent viri sancti. Nec sequitur, quia omnes angeli habent in Deo robur, ergo nomen Gabriel non potest esse alius proprium. Do instantiam. Omnes fideles accepti gratique Deo sunt, dici igitur omnes possunt Ioannes. Num ideo nomen Ioannis non potest esse viro cuidam proprium? quae, qualis consequentia? omnes, dum mittuntur aequo dicere possunt: *Ego sum Gabriel.* Ergo Gabriel non determinate vnum denotat, angelorum principem? Sane non omnes a Deo missi sunt, sed speciatim certus quidam ex illorum numero delectus, quod ipse cel. MOMMA negare nequit, adiciens, indicare hoc nomen, vnum eundemque angelum missum saepe fuisse ad homines. Si vero hoc indicat, quodam saltim modo est nomen proprium non adpellatum. Nec video, quid sit absurdum, angelis nomina tribuere propria. Adfir-
mant hoc multis verbis RAVPIUS in bibl. port. libr. II. p. I. p. 135. qui tamen etiam p. seq. 136. quod valde miror, rem iterum facit du-
biam, dum scribit: *Dubitari non immerito posse, an nomina illa fuerint proprias,*

quod, qui Gabriel alicubi vocatur, a Deo missus ad redemtionis opus adnuntiandum, alibi Spiritus S. aperte indigitetur, immo, Gabriel ipse, Mariae adnuncians conceptionem Christi, sepe ipse a Spiritu S. clarissime distinguit *Luc. I, 35.* πνεύμα, inquiens, ἀγέων super te veniet, non, ego super te veniam. *v. τ. λ.*; adde *I Petr. I, 12.* vbi iterum euidenti satis ratione Spiritus S., quo primario auctore Euangelium de Christi incarnatione coelitus demissum dicitur, ab angelis internunciis, qui desiderauerant πνεύματος, in hoc mysterium, aequae ac prophetis, per quos locutus, aut, ad quos misit interdum angelum suum, discernitur. Dici recte potest, per Spiritum S. adnuntiatam esse hominibus Christi nativitatem plus simplici vice. Num vero per Spiritum S. in visibili forma adparentem, tanquam angelum Dei? Id gratis adseretur, nisi satis notam in Scholis Theologicis distinctionem tollere velis, inter mediatam, et immediatam rei cuiusdam annunciationem, nisi regulae philosophis tritae, immo vulgo receperae, dememinisse velis: quod quis per alium facit, per se fecisse putandus est; Locutus est Spiritus S. saepissime cum hominibus; scilicet mediate, modo per prophetas, modo per angelos ad prophetas, vel alios pios, credentesque missos, non immediate, non forma indutus humana. Equidem inter omnes constat, Christum ceu increatum angelum aliquoties olim, ita visum esse, quia nimirum futurum erat, ut Λόγος fieret Σάρξ, cuius stupendae vniuersalis personalis

per

propria, an vero pro ratione muneris demandati ipsis imposta, quae etiam alii, si isto munere fuissent functi, tributa fuissent. Sed haec dubitandi ratio infirma est, nec prius dicta evenerit. Nam, si Deus ipse individuo eidam hoc nomen Gabriel imposuit, certe hic non aliud illud gerit, adeoque proprium est, et quamvis intuitu Dei nominibus aequae non indigeant angeli, ac homines, ne inter se confundantur, nihil tamen obstat, quominus se inuicem nominibus bene discriminare possint.

per eiusmodi adparitiones praegustuum quasi patribus V. T dare voluit; sed Spiritui S. tales tribuere formas, et quidem fingere praeter villam necessitatem, vereor, ut cum ὑποτύπωσει ὑγιανόντων λόγῳ consentiat. Nusquam certe, quantum equidem noui, in Scriptura Sacra veneranda haec diuinitatis persona tertia nomine proprio insignitur, praeter commune illud קְרָנֵךְ quare nec hoc בְּבָרַאֵל ipsi, ἀτέρ γραψης tribui debet. Est omnino inter Michaëlem et Gabrielem mutua relatio, verum eadem, quae inter dominum et ministerium, creatorem et creaturam, inter redemptorem, et redemptoris amicum ac subditum, inter Christum, et angelum ad nutum ipsius paratissimum.¹⁰⁾ Nec opponi potest, quod nihilominus Spiritus S. etiam legatur a Christo missus ad fideles consolandos, et corroborandos, quare aequum videri, ut et ad Christum aliquando missus accederet, qui in omnibus fratribus suis similis factus sit. Nam respondeo, totum argumentum concedendo, salua nostra thesi. Negauimus salutem, Lucam, quum de angelo adparente in horto dicere in-

stituit,

10) IO. SPENCERVS in diff. VII. de Vrim et Thunniū add. eius liber de leg. Ebr. rit. l. III. c. 3, p. m. 1300 obseruat, obsequium illud paratissimum, quod angelī, domino nostro, in terris agenti, deferebant, et frequentes eorum adparitiones ad illius dignitatem eximiam, velamine carnis obtectam, adserendam, inter primos Christi, dum humiliis in terris agebat, honores esse numerandas. Prouocat ad Iob. I. v. 52. quem locum ad litteram explicat, de adscensu, et descenditu angelorum, ei ministrantium. Et sane verum est, hoc in horto, ut alias, proprie descendisse, et ascendisse angelum, idque posse gloriae, maiestatisque insigne esse documentum, quamuis et alio respectu humilitatis Christi voluntariae indicium praebeat. Verum, quam falso inde typum format SPENCERVS, in sacerdotem summum V. T. saepius descendit, et ascendit angelos, tam incerta est loci Ioannei haec exppositio, quippe qui CLOTZIO, aliisque, rectius agere viderunt de reconciliatione angelorum, nobis infensorum, per Christum facta, eorum que recuperato ministerio, ut sic Christus sit scala antitypica Iacobae, cf. tamen Heb. Opfer. Vol. II. p. 811.

stituit, de Spiritu S. Joqui voluisse. Vnius enim positio
non est alterius exclusio. Confortauit Christum saepius Spi-
ritus S. quipper quo infinite natus erat. Confortauit autem
hoc loco non idem, cui nimis nunc pariter ac patri fa-
gendum erat, sed angelus, vel Spiritus S., mediante angelo.

§. IX.

Gabrielem non esse Spiritum S. vidimus, sique funda-
mentum ipsum exegeseos falsae destruximus, nec in eo habebi-
mus forte quempiam dissentientem. Etsi enim b. DORSCHEVS
in *diff. ib. de 70. hebdomadibus Danielis ad cap. IX, v. 24.* an-
gelum increatum maluerit intelligere sub nomine Gabrieli,
filium tamen Dei, non Spiritum S., pro angelo increato aperte
cognovit. Non vacat, rationes Theologi Summi examini
iam subiicere, praeferim cum nec ipsum meletem ad manus
sit. Interim hoc nullus dubito adserere, vix satis firmum ha-
bituras esse pondus quasuis rationes, si consideremus, virum
Gabrielem Danieli adparentem de Christo, tanquam alio, a se
penitus distincto sermonem facere, siue attendamus, eundem
virum, siue angelum, circa initium N.T. ad Zachariam in tem-
plum venisse, nec non ad Mariam, et Iosephum, qui, ne pro
incarnando Messia habeatur, sed potius pro eius angelo, totus
historiae sacrae concentus, dissuadet. Simus ergo paulisper
liberales, et *κατ' ἀνθρώπον* cum MERKENIO nostro dispu-
temus. Ponamus, Gabrielem illum esse angelum increatum.
Ponamus, esse Spiritum S. Num recte ita concludetur: quia
ibi adparuit Spiritus S. E. etiam hoc in loco? quia Gabriel
adnuntiavit nativitatem Christi, ergo idem, nec alias confor-
tauit eum? Sic ex quolibet quidlibet facilis negotio demon-
strabitur. Incongrue huc quoque trahitur locus *Ief. XVIII.*
16. quasi vertendus: Nuic mittit me (Michaëlem s. alium
in loco suum.)

C

suum.)

suum) dominus et Spirituum suum (s. Gabrielem). Doctissimi indagatores sensus propheticci dudum probarunt, Spiritum S. h. in l. non obiectum, sed subiectum, non mittendum, sed mittentem existere. Loquitur Messias de sua missione, hancque adscribit patri suo, aequae ac Spiritui eius. Alioqui, si sensus foret: pater misit et me, et Spiritum suum, non de-
 esset nota accusatiui in ultima voce Ηγονι conf. VITRINGA,
 VARENIVS, et alii. Et, si vel maxime probari posset, locum
 citatum de missione Spiritus S. a patre instituenda, esse acci-
 piendum; quis ferat inde concludentem: Ergo angelus, de
 coelo a patre mislus ad filium suum corroborandum, est Spi-
 ritus ille Sanctus? dicitur s. galilaei in libro missione spiritus sancti capitulo 10. pars 2. quod omnes qui in missione spiritus sancti inveniuntur, in eo sunt missi ab aliis.
§. X.
 Pari laborat leuitate illud, si quod esse debet, argumen-
 tum, ab iis petitum locis, ubi Gabriel legitur missus, ut ad-
 nuntiaret conceptionem et nativitatem Christi. Supra iam
 in antecessum monui, inde nondum constare, quod hic idem,
 nec angelus alius, ad Christum accesserit, in horro patientem.
 Quam primum enim Deo patri placuit, mittere in hunc finem
 angelum, ut Christum corroboraret, eo ipso etiam notitia
 illum, aequae ac virtute, ad opus perficiendum necessaria,
 procul dubio instruxit, siveque alius quilibet non ineptior fuit
 Gabriele, olim iam missus. Sit vero Gabriel, qui ministerium
 hocce praefixit Christo, Spiritum S. tamen non fuisse,
 ex antea dictis statim elucescat. Superest igitur illa duntaxat
 analogia, quam etiam vrsit MERKENIVS pro sua hypothe-
 si, breui consideranda, analogia, inquam, corroborationis
 huius, de qua disputatur, cum alia, in baptismo Christi a
 Spiritu S., nemine contradicente, facta. Non alio enim
 fine hanc paucis praemisit l. r. auctor, quam ut suae expli-
 cationi

cationi robur quoddam adderet. Verum tamen nihil quoque exin lucratur. Nam vix concedi potest, adparitionem Spiritus S. in baptismo Christi esse factam ad eum corroborandum. Profecto tunc temporis nulla infirmitate, nullo dolore, nulla tentatione erat adflictus, vt corroboracione indigeret. Laetus contra, intrepidus, ac firmus, se sistebat Iohanni, vt per baptismum sollemniter ad munus suum inaugaretur, populoque innotesceret. Hunc finem, si non vincum, certe primarium, fuisse factae visionis, dilucide ostendit b. DANTZIVS in pecul. *diff. de inauguratione Christi,* que in MEVSCHENTI N. T. ex Talmud. coll. occurrit. Quodsi autem corroborationem Christi dicere isthanc inaugurationem velit MERKENIVS, licet id quidem, sed concludere non licet, hanc quoque corroborationem in horto a Spiritu S. ortum traxisse. Facillimum potius erit, quadruplicem illam, cuius meminit, confortationem distinctam, ita inter se comparare, vt omnino commodam habeant analogiam. Prima in baptismo Christi facta, et quidem a Spiritu S., secunda in monte transfigurationis, a beatis coelitibus, Elia et Mose. Tertia in vrbe ab ipso Deo patre, immediata voce Ioh. XII, 28. audita. Denique quarta in horto ab angelo creato.

§. XI.

Caeterum sententia hactenus impugnata per se quidem periculosa non videtur, potest tamen facili negotio erroribus pingendis et infucandis fieri apta. Sufficiet in praesenti unicum adponere incommodum, quod secum trahit. Constat, inter Socinianos existisse plures, qui Spiritum S. pro praeципuo quodam habuerunt angelo. Et Anglus quidam, 10. BIDELLVS, existimauit, praecipuum quendam angelum Dei,

et Christi, ex cetero angelorum numero exemtum, in trinitatem cooptatum, dici Spiritum S. vid. EIVS conf. fidei de trinitate, anno 1648. anglice edit. et 1691. recus. Lond. art. 6. conf. b. MAYERI dissertatio de Io. Bidelli vita, eiusque sententia, Spiritum Sanctum esse praecipuum angelum Hamburg. 1700. Errorum istum novo errore cumulauit CHRISSTOPH. SANDIVS, per Spiritum S. non unam personam, sed coetum spirituum intelligens, s. genus ipsum angelorum, refutatus a WITTICHIO, SCHOMERO, et aliis, cf. MAIERI diff. de Sandio, eiusque sententia: Spiritum Sanctum esse genus angelorum, vid. etiam ZACH. GRAPPI Tb. Part. I. c. 2. quaest. 21. p. 160. seq. Iam si MERKENII hypothesis veritati esset consentanea, nullum est dubium, quin vel SANDII, vel BIDELLI error eleganter pingi et infucari, immo verisimilitudine quadam indui possit. Si enim Spiritus S. Christum corroborauit, isque dicitur ab ipso Luca ἀγγελος ὁ π' ἐρανης, quis vetabit, Spiritum S. pro praecipuo habere angelum? Absit vero longissime, vt vel minimam demus errantibus occasio-
nem, de sacrosancta Triade minus decenter ac reuerenter sentiendi, cui potius in aeternum sit LAVS, HONOR,
GLORIA!



Ita in Huhnium quadrare debuit quod de Abele Paullus com-
memorat Hebr. XI. v. 4. ἀποθανω ἔτι λαλεῖται.



VI 29

= Dissertationes theol.
Vol. 73.]





20

M. CHRISTIANI GODOFREDI HVHNII,
S. THEOLOGIAE BACCALAVREI, ET AD D. NICOLAI IN VRBE,
LIPSIA, CONCIONATORIS OLIM VESPERTINI,
LONGE MERITISSIMI,

DISSERTATIONEM EXEGETICO-ELENCHYTICAM

QVAM

DE

AD PARITIONE ANGELI
CHRISTVM CONFORTANTIS,

Luc. XXII. Com. 43.

SPIRITVI SANCTO NEVTIQVAM
TRIBVENDA,

CONTRA

CL. IOANNEM CASPARVM MERKENIVM,
SCHOL. GEMARC. REC T.

VIVVS AD HVC CONSCRIPSIT,

EX BEATI MANVSCRIPTO

P V B L I C A T

M. IOANNES Leberecht ALBANVS,
ZSCHEPLINA - MISNICVS.

L I P S I A E
LITTERIS IO. CHRIST. LANGENHEMII.

1 7 4 7.